

1004. Æthelredus rex iussit omnes Danos Angliam incolentes occidi.  
 1005. Suen revertitur victus Danemarciam.  
 1012. Ælfegus martyrizatus est.  
 1013. Suein rex Danorum secunda vice revertitur in Angliam <sup>n)</sup>).  
 1014. Mortuus est Suein rex Danorum.  
 1015. Cnut cum magna classe venit Angliam.  
 1016. Uhtret comes Northanhymbrorum occisus est et Æthelredus rex mortuus est. Cui <sup>o)</sup> successit Edmundus filius eius, qui Isenside appellatur. Acriter inter illum et Cnut pugnatur. Post quintum bellum dividunt Angliam; Cnut ad borealem plagam Tamesiae, Edmundus ad australem regnavit. Set illo fraude ab Edrico perempto Cnut monarcha factus est regni <sup>o)</sup>).  
 1018. Aldhunus episcopus Dunelmensis obiit. Cometa <sup>p)</sup> late spargens flammam visa est per Northymbriam per XXX noctes. Transactis post hoc XXX diebus fuit apud Carrum illud famosum bellum inter Northanhymbros et Scottos, ubi pene totus sancti Cuthberti populus interiit, inter quos etiam XVIII sacerdotes, qui inconsulte se intermiscuerant bello; quo audito prescriptus episcopus dolorem et vitam morte finivit <sup>p)</sup>).  
 1020. Eadmundus suscepit episcopatum Dunelmensem XXIII.  
 1023. Wlstanus archiepiscopus Eburacensis obiit.  
 1024. Heinricus imperator obiit.  
 1025. Cuonradus imperavit annis XV.

f. 24<sup>v</sup>

1026. Ricardus secundus dux Normannorum obiit. Cui successit Ricardus tertius, qui eodem anno defunctus est. Cui frater eius Robertus successit.  
 1028. Cnut rex Anglorum fit et rex Danorum.  
 1035. Cnut rex obiit. Cui Harold filius suus successit annis V.  
 1036. Robertus dux Normannorum obiit, cui filius suus Willelmus bastard successit.  
 1039. Cuonradus imperator obiit. Heinricus imperavit annis XVIII. Haroldus <sup>q)</sup> rex Anglorum moritur, cui frater eius Hardecnut successit II annis. Iste fuerat filius Cnutonis et Emmae. Hoc anno Du-

---

<sup>n)</sup> folgt radiert et rex.

<sup>o)</sup> cui ... regni *am unteren Rande*.

<sup>p)</sup> cometa ... finivit *am unteren Rande*.

<sup>q)</sup> Haroldus ... amisit *am unteren Rande*.